

*tatis ejus, quia suspensio latronis non est potentia volitiva Regis, nec actus elicited à potentia; sed sumitur pro re volita, quia suspensio latronis est res volita à Rege. (3.)* Voluntatis vox quandoq; denotat ipsum actum voluntatis putà Volitionem, & hac in acceptione circa illam sollicitus esse solet Ethicus, cui ita definitur: *Voluntas est boni cum ratione appetitio.* Hoc enim sensu Augustinus *i. Retr. dixit: Nihil tam est in potestate voluntatis, quàm Voluntas ipsa.* Hoc sensu Naso canit: *ut desint vires, tamen est laudanda voluntas &c.* (4.) Denique Voluntas notat ipsum actum voluntatis primum, seu ipsissimam illius essentiam & naturam, quam pro eo ac possumus, non ut volumus jamjam erimus contemplaturi.

§. 4. Non autem agere de Voluntate in communi, seu ut ita loqui liceat, in actu signato, animus est, sic enim & à Deo, & ab Angelis, & ab Homine præscinderet, adeoq; ita explicanda esset, ut cuivis applicari posset; sed in actu exercito, prout scilicet ad solum hominem restringitur. Id quod & discursus nostri præfamen, & supra §. 1. jamdum satis videtur intimasse.

§. 5. Atque ita hæcenus de cortice satis, nunc citra ulteriores ambages ad nucleum. Continetur autem ille adhuc tanquam in subtili quadam tunica, in ipsa definitione, quæ aliàs elegantissimo nomine τῆς ὁσίας ὑποεπιστροφῆς Philosopho 2. post. c. 3. appellatur. Datâ igitur & resolutâ penitus definitione, res ipsa in apricum utcunque exponetur.

§. 6. At verò sanè, si voluntas tantâ perspicuitate æquè, ac definitionum diversitate, quæ apud auctores hinc inde videre est, abundaret, jamdudum in vado res esset omnis. Quot enim sunt capita, tot etiam hoc in negotio auctorum ferè sunt sententiæ. Illorum autem nobis arridet